infestatione peregrinorum esse turbatam.
Quo audito dux furore succensus missis
nunciis famulos dei de loco eodem disce-
dere iussit. Sed neque hoc sufficit satellitibus
demonum quin etiam vaccam eorum furto
abstrahentes in invia duxit silvarum.
Quos cum duo de fratribus e vestigio inse-
cuti fuissent consurgentes latrunculi interficiunt
eos et auferentes spolia eorum discedunt.
Mirati autem fratres cur tam diu differrent
redire mittunt alios qui eos requirant.
Illi vestigia eorum secuti occisos eos in-
veniunt et cadavera ipsorum suis humeris
imponentes ad cellam reportant. Inter hos
angustiarum et tristitie fluctus nuncius
ducis adveniens de illo eos loco commeare
precepit. Nec immerito quia non est societas
luci ad tenebras. Egit autem hoc arte sua
diabolus ut populum quem in presentia lucis
amittere cepit discedente sanctitate
fulgore tenebris occuparet antiquis.
Sancti igitur viri moleste ferentes quod sede
pellerentur amabili consilio communi ut
aliam peterent decreverunt. Et dum nimio
tenerentur dolore sanctus pater columbanus his
verbis cepit eos consolari. Invenimus quidem
fratres his in partibus concham sed venen-
atis serpentibus plenam. Cedat tamen tristitie
languor exitialis quia certa est fiducia
de auxilio protectoris. Deus enim cui servi-
mus angelum suum mittet nobiscum qui nos
perducat ad agilolfum langobardorum
regem ubi eius clementia preparante
humanos affectus et pace plenum
habitationis locum inveniemus.
9 Post hec igitur cum proficiscendi tempus
instaret beatum gallum repentina
febris invasit. Unde abbatis sui pedibus
advolutus indicavit se infirmitate ve-
hementi laborare et ideo iter propositum
non posse perficere. Ille vero existimans eum
pro laboribus ibidem consummatis amore
loci detentum vie longioris detrectare
laborem dixit ei. Scio frater iam tibi
onerosum esse tantis pro me laboribus fati-
gari. Tamen hoc discessurus denuncio ne me
vivente in corpore missam celebrare
presumas. Et cum ei licentiam pro se quiescendi
dedisset viam ingressus est abeundi. Post
discessum magistri et sociorum gallus retia
sua navi imponens ad willimarum

presbiterum venit. Et cum obtulisset ei retia inter
lacrimas et suspiria retexuit omnia que
gesta fuerant circa fratres suos. Deinde
infirmitatis sue causas aperiens roga-
vit eum ut sui curam dignaretur habere. Qui
suscipiens eum cum omni caritatis obsequio
domum vicinam ecclesie eius necessitati con-
cessit. Et duobus clericis suis magnoaldo
et theodoro hanc sollicitudinem commendavit
ut cum omni diligentia eius recuperationi ser-
virent. Exactis aliquot diebus domino qui
medicus est verus medelam impertiente
cepit sumere cibos et per incrementa temporum
confortatus perfectam indeptus est sanitatem.
O infirmitatem omni humano robore for-
tiorem. O febrem omni laude colendam. O
languorem sanitati et gaudiis ascribe-
ndum. Exemplo enim domini pro nobis gallus
doluit ut aliarum morborum predicatione sacra
depelleret. Ire cum magistro non potuit ut nobis
viam veritatis ostenderet. Vere patiens et
misericors dominus in predicatoribus suis iam
pridem contemptus dum quosdam peccatorum susti-
net doctorem ne errantes deserat retinet.
10 Diaconus itaque sepe dicti presbiteri nomine
hiltiboldus omnes heremi semitas
notas habebat et secessus. Solebat enim
piscium et accipitrum causa capiendorum
sepius solitudinem peragrari et secreta lo-
corum usu cottidiano perdiscere. Huic cum
vir sanctus familiaritatis sue gratiam prestiti-
sset quesivit ab eo an invenisset umquam
in solitudine locum aquis abundantem
puris et salubribus planitie stratum et
humanis cultibus oportunum desiderio
inquiens animi ferventis exestuo cupi-
ens in solitudine dies ducere huius vite
concessos. Iuxta quod psalmista pronunciat
dicens. Ecce elongavi fugiens et mansi
in solitudine expectabam eum qui salvum
me faceret et reliqua. Diaconus respondit.
Hec o pater solitudo aquis est infusa freque-
ntibus asperitate terribilis montibus
plena precelsis angustis vallibus flexuosa
bestiis possessa sevissimis. Nam preter
cervos et innocuorum greges animalium
ursos gignit plurimos apros innume-
rabiles lupos numerum excedentes rabie
singulares. Timeo igitur ne si te illuc in-
duxero ab huiusmodi hostibus devoreris.
Ad hec vir sanctus Apostoli inquit sententia est.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 5r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/fr/vad/0070/5r)